

PRÆFATIO.


 Hymiam & Alchimiam sub alterutro nomine, ut plurimum, confundit imperitum vulgus, sed malè, ut etiam sollet sub alterutro, vtramque non mediocriter odisse, sxpè tamen non iniuriā, cum videas quotidie Carboni-perdas Alchymistas, spe conficiendi Aurum inani deludi, cum magna non rarò rerum sua rum iactura, vt quoque, Impostores vt plurimum, Chymistas, sub multa promissione, Operum inanes, Crumenimungas fieri intollerabiles, certè in benè ordinata Republica, nimium iste temerarius, ac nimio cum periculo, eorum lusus de Humano Corio non admittendus. verumtamen vt meritò ambobus talibus commune hoc debetur odium, immo Exilium, sic immeritò hoc mulctantur, ac proscinduntur veræ Chymiæ synceri Alumni, quorum solerti operæ, ac indefesso studio, & benevolentia erga genus Humanum, hoc iam dudum debet Medicina, quod secretiora quædā, demum è tenebris eruta, multa consacrata sint Posteritati, quibus citius, iucundius, etiam certius fieri possit medela grauissimorum Affectuum. Copiofissima horum in hunc diem excreuit supellex, sed paucula tantum selecta
 è mul-

è multis huie Libro inarantur, vt ad manum sint,
quorum in obuijs ac magnis morbis, & frequens
est necessitas, & probata vtilitas. Talem experieris
quisquis non es Amethodus.

Fœcundissimum Cornu Copiæ quo Chymia
ministrat Medicinæ, hos ferè solos largè profun-
dit vtiles Thesauros, videlicet Aquarium, Spir-
ituum, Oleorum, Tincturarum, Extractorum, Sa-
luum, Crocorum, & sub his reductorum, (florum,
Præcipitorum, Sublimatorum) quibus omni-
bus commune est nomen Quintæ Essentiæ. Om-
nium ac singulorum exactam conficiendi nor-
mam, ac Methodum hic tradere (quod huius in-
stituti limites excederet) non est in animo (quam
facile hauriet Philochymicus à Beguino, Querce-
tano, Salâ, Crollio, Glaubero & alijs, qui ex pro-
fesso cum laude hanc gerunt Prouinciam) sed
tantum, tamquam in horreo, hic ex vberrimâ
segete spicilegium reponere eorum, quæ corpori-
bus (sub hoc nostro Cælo degentibus, videban-
tur esse aptiora, tum ad præsentis Sanitatis tute-
lam, quam amissæ medelam vtiliora; inter hæc
Chorum ducent liquida, Aquea, ac Spirituosa, non
quidem quæ simpliciora (de quibus in parte prima
huius Libri) sed quæ magis composita, & Artifi-
ciose inuenta. Atque hoc ex ante dictis in Me-
moriam

moriām reuocandum, nos his vnum aptum confiendi modum ex multis accepisse; quod si quis semitam breuiorem, ac minus operosam praxim calleat, non equidem inuidemus, dummodo tamē omnia hæc nostra ingredientia numeri & ponderis & qualitatis eiusdem accipiat, nec alio suo methodo eorum vires infringat, nec minus exhaustiat.



F f De